

te ; alii quoque Principes , Cardinales , Antistites , Judices , 1585  
 Gubernatores , militum præfecti , nobiles , ac civitates sexto  
 kal. marii Pamvillam coacti , cum de rerum præsentium sta-  
 tu egissent , in has leges societatem ineunt . *Dei Ecclesia in*  
*pristinum nitorem integratamque restituatur , una tantum*  
*catholica religio in Gallia sit . Nobiles in posterum absque*  
*ullo impedimento suis privilegiis fruantur . Ad levandam ple-*  
*bem vectigalia post Caroli obitum indicta tollantur . Generale*  
*concilium ( quod Parliamentum vocant ) in priscam amplitudi-*  
*nem ac decus restituatur . Galli suis præfecturis , muneribus ,*  
*dignitatibus potiantur ; legitimis tantum ex causis ex supremi*  
*concilii sententia exuantur . Pecunia superiorum annorum exa-*  
*ctionibus collecta , atque postbac colligenda , in regni defensio-*  
*ne , aliisque necessariis insumatur . Unoquoque triennio conven-*  
*tus regni habeantur , in iis expedite jus poscentibus reddatur .*  
*Hisce de causis ad arma capienda coactos se fœderati profi-*  
*rentur , ut Galliæ pristinus splendor accedat ; repressis scelerato-*  
*rum hominum conatibus , reliqui securius agant ; regni pro-*  
*ceres tutius vitam traducant : intestinum se bellum semper*  
*exborruisse , ajunt : modo in ea omnium rerum colluvione ca-*  
*tholica religio , eorumque salus in discrimen adducta , ad id*  
*invitos , coactosque descendere ; quæ sane si a religionis causa*  
*sejungere potuissent , arma sponte abjecturos : nihil eis gratius*  
*accidere posse , quam si pro illustri adeo ac pia causa vitam*  
*ipsam profunderent : non ad Regem opprimendum , sed ad vi-*  
*tam decusque illius tuendum ea consilia inivisse . Quid enim*  
*laudabilius , quam fortunarum capitisque periculum adire ,*  
*animamque , non secus atque alias fecerant , pro regia aucto-*  
*ritate constanter efflare ? Regis nutu ab armis recessuros ; dum*  
*quæ in religionem obrepserant , quæ subjectis præter jus æ-*  
*quumque acciderant , ipsem tolleret ; caveretque , ne , eo de-*  
*functo , ob regni successionem seditiones tumultusque in Gallia*  
*excitarentur . Henricum proinde Catharinamque matrem , cu-*  
*jus prudentia adhuc Gallia stabat , exorare , ut in catholica*  
*religione , bonisque omnibus conservandis enixe persisterent : sup-*  
*plices quoque a Principibus , ecclesiasticis , nobilibus , atque ci-*  
*vitatibus , que nondum in fœdus nomina dederant , petere ,*  
*causam publicam amplectantur , societati se adjungant : ni id*  
Fœderis  
Gallorum  
paœta.